

Articulus 25. Louanien.

Certa fide tenenda sunt, non solum quæ scripturis expresse sunt prodita, sed etiam quæ per traditionem ecclesiæ catholicæ credenda accepimus, & quæ definita sunt super fidei, & morum negocijs per cathedram Petri, uel per concilia generalia legitime congregata.

Articulus 25. responsionis.

Hic articulus non solum omnia generalia concilia, & leges pontificias, sed quicquid est usquam in ecclesia traditionum, & rituum etiam sine certo autore, confirmat. Bone Deus quanta pertinacia est, nolle cedere in manifestis abusibus, contra scripturam etiam citra auctoritatem Episcoporum receptis pro Christiana concordia? quis ista legens non exanimetur, imò incandescat. Nam Christus etiam infremuit super cecitate, & pertinacia scribarum et phariseorum. Nos eam reuerentiam concilijs tribuimus generalibus, & patrum testimonijs de uera scripturæ sententia, & ecclesiasticis dogmatibus

matibus